



**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ  
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1681**

xxxiii [i.e. iii]. Genus est unum aptum prædicari de pluribus specie  
differentibus in quid incompletè.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

ter superius genere, si ve conveniat pluribus,  
quām *τὸ genus*, sequitur, esse essentialiter  
genus generis, sed tantum fundamentaliter,  
cūm secundum suum conceptum non sit u-  
num aptum prædicari de multis specie diffe-  
rentibus, sed tantum unum aptum prædicari  
de multis. Neque ex eo, quod hoc modo de-  
tur genus generis, adeoque genus, quod sit  
supra decem summa genera, sequitur, illa ma-  
lè appellari summa; talia enim dicuntur, qua-  
tenus ab iis pri mō intentionaliter sumptis  
non potest abstrahi prædicatum communius  
primō int̄ ntionale.

III. GENUS est unum aptum prædicari de pluribus specie differentibus in quid incompletè, ubi rā incompletè non necessitatis, sed majoris explicationis gratiâ additur, eo ipso enim, quòd prædicetur de pluribus specie differentibus, prædicatur ut pars, cùm tota essentia unius speciei nequeat esse communis alteri speciei. Ut autem quid prædicetur in quid, requiritur, ut totā exprimat essentiam, vel ejus partem nomine substantivo, sive habeat se per modum stantis, & non adjacentis, ut differentia, quæ etsi sit pars essentialis, exprimatq̄e partem essentiæ, exprimit tamen

C 5 illam

illam nomine adjectivo , concipiturque per modum adjacentis seu advenientis generi, illudque determinare ad certam speciem. Neq; committitur hic vitiosus circulus, dum genus per speciem, hæc postmodum per genus explicatur ; præterquam enim, quod id habeant correlativa , ut unum per alterum explicetur , supponit hoc loco species pro absoluto ; nempe pro natura perfecta & completa , & talis fit sensus : genus prædicatur de pluribus differentibus inter se naturis perfectis & completis seu integris, sive etiam notabiliter inter se differentibus ; sicque species est quid notius genere. Gratiis autem dicitur, quod genus, utpote unum per accidens , & conflatum ex singularibus & cognitione, non queat definiri ; unum enim per accidens ad summum nequit definiri, definitione explicante naturam cuiusvis partis distinctè, non verò explicante naturam totius & partium , quatenus ad ilhud totum conducunt.

IV. INDIVIDUI, hic fit mentio in ordine ad universalia. Est itaq; individuum physicum idem , quod intrinsecè unum numero, seu indivisum in se , & divisum à quolibet alio.